


NUMMUS MEMORIÆ DICATUS
 CLEMENTIS VII. PONT. CUSUS
 DESPONSATA NEPTE CATHARINA HENRICO
 Francisci filio in congressu Massiliensi.
 Anno Christi 1533.



UR meritoque apud familiares suos deprædicabat Clementis VII. Pontifex familiæ suæ supremum quasi felicitatis cumulum beneficio divino accessisse: cum Alexandrum domitâ Florentia, desponsatâque ei Cæsaris filia, Ducem conspiceret: neptem Catharinam Francisci regis filio junctam videret: ac Hyppolitum Medicæum cognatum, defuncti Pompeij Columnæ Cardinalis locum tenentem, sacerdotiis que opulentum, alterum familiæ lumen columenque cerneret. Eò certè gratior atque exoptatior cum Gallo ipsi erat affinitas, quo minus persuadere sibi poterat, Regem Franciscum pro filio Henrico, eas ex animo expetere nuptias, quod genere, loco, gradu ac sorte, plane impares essent, ut neque crediderat, serio rem agi prius, quam in complexus illi venissent. Caterum cum ob generis decus insigniter auctum multorum premeretur invidiâ, quis sibi sit animus, eleganti symbolo notare voluit. Ut enim saxo quadrato incumbens pila (una scilicet, è sex gentiliis) extremum solis æstus, verèque syrium perfert illæsa: arbor vetusta torrida que eodem accenditur: sic vir integer sceleris que purus ab invidis malevolorum oculis linguisque mordacibus incommodi nihil capit: usurpat tritum illud: *Infelix sui nemo invidet.* Sleidanus. Pontus Hen-
 terus. Author.